

Dum hæc meditabatur sapientissimus vir, supervenientibus gravissimis negotiis pro adventu Græcorum ad Concilium, per organum, ut ipse ait, Cardinalis Sancti Angeli Legati Pontificis significatum illi fuit, Patres esse occupatos in urgentioribus negotiis, ideoque differendam esse relationem, quam paraverat. Acquievit religiosissimus Pater, nec fuit Concilio molestus, semper paratus pro adimplenda provincia sibi demandata, quandocumque oportunitum Patribus visum fuisset.

Orta tandem gravissima, & scandalosa dissensione inter Patres Concilii, & Eugenium Pontificem, Legati, & Præses recesserunt; quibus se adjuvit Turrecremata cum aliis piis viris, & omnes ad Sanctam Sedem fidei magistram se contulerunt. Quare Concilium, utpote a suo capite scissum, pro dissoluto, acephalo, & conciliabulo a viris probis est habitum. Insolescentibus in dies Patribus dissidia Basileæ excitantibus culmen iniquitatibus posuere; citarunt personam Pontificis ad comparandum Basileæ statuta die; suspensum primo, & postea privatum Sede declararunt; & tantum crevit audacia, quod ad electionem novi pseudopontificis devenerunt: quare jure merito non dicebatur amplius Concilium Ecclesiæ, sed conciliabulum Diaboli, Satanæ synagoga.

Mirandum sane, quod pro tuenda sententia Immaculati Conceptus adferatur decretum Basiliensis Concilii efformatum sess. 36., in qua erat jam dissolutum, & a nullo ex Catholicis dicatur legitimum, immo a Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 11. declaratum schismaticum, seditiosum, & nullius auctoritatis. Mirandum magis, quod Patres, qui condiderunt illud decretum, honorificentur nomine *gravissimorum virorum, & Prælatorum*, cum tunc rebelles, schismatici, & excommunicati fuissent.

Translato auctoritate Pontificis primo Ferrariam, deinde Florentiam Concilio, non legimus Joannem de Turrecremata exhibuisse Patribus suam relationem, nec legimus aliquid sancitum supra Conceptionis negotium.